Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8290
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



culo est navis, & omnes quos puppis exceperat palles-
cunt timore non vulgari. Quaerunt miseri salutem
& omnes ad caelum manus tendunt supplices ut deus
harum calamitatum adiutor fiat fortis, hinc merces
de navi proiciunt, ne cum oneribus haec essent praepe-
dimento, unus vela expandit, alter anchoram caute
demergit. proinde nec quispiam erat in navi
qui hac sub periculo vires suas non attentasset,
sic enim habet res cum ad Triarios venerit. Porro
Jonah quum parum habet animi inter haec vitae
incomoda quaerit in pede salutem, nam pauloante
qui primum in alto mare, caelum, diem videre clare
potuerit: Is qui ad navis concavum descendit post
hac rerum harum prorsus nihil intuetur & ponit
secum hunc calculum, Felix ego satis si ad haec incomo-
da in tenebris hodie vivo. Et Jonah exemplo
qui curis praemitur dormire ac stertere occipit.
Caeterum dum prorae magister omnia inter haec adversa
caute prospicit, dum & secum consulit quo ordine
inter haec maris pericula omnia manerent salva
a casu in navis concavo prophetam alte stertentem
repperit, cui & ait. O Jonah infelix, quae haec
tua inhumana audacia! nulla tibi cura. Ecce quanta
est maris tempestas, in periculo vitae vivimus
& in proximo nobis mors habetur, cur o vates
sono tam alto es oppressus, surge ergo mi Jonah
quaeso; ad te & reversus sobrie expende qua infe-
lici anchora nobis prora pendet, clama ad deum

Jonah autem descendit ad concavum

Adcessit ad eum prorae dux